ILLUSTRI VIRO,

CONSTANTINO HUGENIO,

Illustris Domine, — Tanti Principis liberalitati totius et nunc iterum, neque minus exquisitis illis tuis virtutibus, quibus fit, ut neque mereantur illud neque exspectantes Musae nostrae aureo imbre ubertim se perfusas agnoscant, debui certe iam pridem solemnem gratiarum actionem. Ceterum etsi eâ lentitudine largiter in humanitatem tuam peccasse possim videri, veniam tamen ab eadem facile hunc hominem impetraturum confido, qui per menses iam aliquot languet, et, dum neque valet satis neque aegrotat, vix praestare aut litterarum ministerio debita officia valet occupare. Est mihi vetus hospita domi, quam obstructionem lienis vocant, quae hac fere anni tempestate gravior molestiorque incumbit, et medicinam scilicet, quam litteras salutandi imponit necessitatem. Petieram ab Adolfo Vorstio, identidem ad vos excurrente, hoc nomine ut caussam nostram apud comitatem tuam tueretur. Quod an ab eo factum sit, nescio. Hoc scio, immodestia ac intemperantia Vorstiani oris per hos dies evenisse, ut sereno animo frui non potuerim minoribus dolorem. Octiduum praeter propter elapsum est, cum in Academico Senatu quaesivit, an ad nobilissimum Zuylichemium nondum a me litterae exiissent. Nondum dedisse, quod res erat, tum respondi. Animi enim et corporis nostri quo languore fuisse impeditum. Tum ille magno supercilio declamare; me boni moris ignarum esse, ingratum, et humanitatis omnis expertem; denique illustris Zuylichemii amorem in iram et indignationem versos; id me experiundo cogniturum. Excepi ad ista ego: Non esse illum eiusdem censorem morum constitutum. Curaturum me ne inveniar ingratus. Molestissimum autem animo meo, supra quam dici potest, fuit, quod tantâ asseveratione eum Heroa implacabiliter irasci mihi diceret, apud quem ipsam comitatem et mansuetudinem habitare, quem animorum vitiis ignoscere etiam posse, multis experimentis didiceram; cuius denique unius pacis ac amoris caussa libenter cum omnium odiis velim conflictari. At non satis fuit

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Boxhorn) 19
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3908

Ei hanc nobis sollicitudinem iniecisse, pudorem etiam nostrum sublevan-
dis, eodem in loco, aggressus est. Quippe audita tua de eo, ut est
omnium, quotquot vivunt, in dicendo incontinentissimus, viru-
lenta voce: Nobilissimum Zulichemium nimis officiosum
Boxhornio hoc elogio commendasse; Gratissimum id Boxhornio
futurum; egere quippe eum, rem esse in arto esse, et eius ge-
neris plura. Haec, Magnifice Domine, cum crederem esse
falsissima, cum et ea res meae sint, ut sicut muneribus
possim, ita gratia et patrocinio optimorum principum non
possim carere, et celeberrimae humanitati tuae excidere
non possit eiusmodi oratio, hac querelâ adeundus mihi nunc
fuisti. Ob quam prolixior sum, quam gratiarum actione, cum hanc
intimis animi penetralibus conceptam potius votis exprimam,
quae pro celsissimae principalis domus aeternitate, pro tuâ tuo-
rumque salute sanctissima quotidie offeruntur. Festi dies
tui vero mihi festi fuere, pietatis tuae et consummatissimi
ingenii ~~tui~~ immortale monumentum. Litterarium mu-
nusculum quod iam reponam non habeo, nisi hoc, quod vir-
tutum tuarum traduci et certissimae imagini, filio tuo, exhibeo,
in quo non nostra sed nostrâ curâ aliena et meliora leguntur.
Vale, Illustris Domine, qui ut sollicitudini nostrae et iusto
dolori, quem vetustissimi hominis petulantia attulit, haud
dubie ignosces, ita etiam in posterum praesidium in patrocinio tuo
invenire me patieris. Lugd. Bat. CIƆIƆCXLV, Mart. X.

Illustri tuo nomini

devotissimus

Marcus Zuerius Boxhornius

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Boxhorn) 19
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3908

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Boxhorn) 19
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3908